Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2085
Quelle:
Copyright:

equis; per rubros fratres militie templi, qui rubeam crucem ferunt; per albos fratres hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani propter albam crucem; per nigros fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Teutonicorum in Jerusalem propter nigram crucem; per varios fratres de spata (Milites S. Jacobi in Hispania circa 1158. institutos) *et qui dicuntur militiæ Christi in partibus liuoniæ et prusiæ.* Vides *Templarios* etiamnum floruisse, *Teutonicos* vero jam *Prussiam* ingressos, id, quod circa an. 1230. factum est. Autorem olim in *Gallia* degisse, plura loquuntur. Inter alia: *Sunt apud nos mulieres, quæ beghinæ vocantur* (postea in Conc. Vienn. damnatae) *et quædam variis subtilitatibus vigent et nouitatibus gaudent. Habent interpretata scripturarum mysteria et in communi idiomate gallicata, quæ tamen in sacra scriptura exercitatis uix sunt peruia, legunt ea communiter, irreverenter, audacter, in conuenticulis, in ergastulis, in plateis. Vidi ego, legi, et habui bibliam gallicatam, cuius exemplar parisiis publice ponitur a stationarijs* (Bibliopolis, ut etiamnum in Anglia vocantur) *ad scribendum.* Et postquam ob emergentia damna ejusmodi exemplaria delenda et comburenda censuisset, subdit: *ne dicatur in anglis* (vel Anglia) *ecce hic est Christus, ecce illic* &c. Atque cum ex hoc loco, tum ex eo, quod ad *Ambrosium Merlinum* celebrem illum *Cambrobritannum* his verbis provocet: *Cucullati, inquit Ambrosius Merlinus, prouocabuntur in nuptias et clamor eorum in montibus audietur*, Anglum fuisse concludo, utque dicam, quod sentio, *Robertum Grosthead*, Gallis *Grosteste* Episcopum *Lincolniensem* anno 1253. vivis exemtum, in quem Virum omnia probe conveniunt, ut videre est, in *Tanneri Bibl. Brit. Hibern. p. 345.* Quod si bella civilia, ut ait *cit. Brownius* in *Append. ad Fascic. Rer. expet. et fug.* p. 396. non impedivissent Editionem Opp. omnium *Roberti*, quam magnis tribus Voll. parabat ejus in Sede *Lincolniensi* successor *Johannes Williams*, spes me tenet, praesens quoque Scriptum in eorum numero compariturum fuisse. Sed excerpamus quaedam in lectoris gratiam. Incipit: *Postulatis a parvulis vestris scandala, quæ videmus in clero et populo et ea sub quibus gemit ecclesia, vobis scribi* &c. Mox de Pontifice: *Romanam* (Ecclesiam) *attendentes summum pontificem Successorem Petri Christum Domini Summo judici relinquamus. Quia si montem tetigerit bestia, lapidetur. Habet ipse suum deuteronomium librum videlicet a Beato Bernardo de consideratione scriptum.* De Curialibus: *Hi sunt, per quos litigaturi ad curiam attrahuntur, attracti propriis exuuntur, exuti pendentibus et infectis negotiis ad propria sine proprio reuertuntur. — Remedium forsan erit, si remittantur appellationes ad eos, qui certius et brevius possunt expedire nego-*